

P V I S



1 6 0 3

DE

IMMATVRO OBI
TV ILLVSTRISSIMI ET GENE
ROSSIMI PRINCIPIS AC DOMINI,
DOMINI BERNHARDI, PRINCIPIS ANHALTINI, CO
mitis *Ascanie*, Domini *Seruestæ ac Bernburgi*, qui in vera
confessione & ardenti Inuocatione filij Dei ex hac mortali
vita in vitam cœlestem eternamq; commigravit

Calendis Martij, Anno

M. D. LXX.

QV E R E L A
SERVESTÆ CIVITATIS.

SCRIPTA A

M. NICOLAO BOTICHERO
Schola ibidem ad D. Nicolaum Conrectore.



bi.

*Vitebergæ excudebant Clemens Schleich
& Antonius Schöne.*

ANNO M. D. LXX.
*Clariss: Viro, sapientia eruditione
& Virtute, presfanti D. Jacobo
Tena R. epub. Seruestana Came*

49



1177

EPITAPHIVM ILLVSTRISSIMI

PRINCIPIS AC DOMINI D. BERNHARDI
PRINCIPIS ANHALTINI &c.

INDLYTA sub tumulo BERNHARDI membra quiescunt
Principis, ætherei Menstenet astra poli.
Qui fatus Heroum veteri de stirpe potentum,
Gloriaq; Ascaniæ est magna decusq; domus.
Dux erat insignis vera pietate fideq;
Sincera coluit relligione Deum.
Maxima cura fuit rectè cognoscere CHRISTVM,
Omnia nam pereunt præter amare Deum.
Is sacra Nutricius fouit pius agmina coetus
CHRistiadùm, placidus portus & aura pijs.
Sincera populum de relligione doceri
Curauit: res est principe digna viro.
Iusticiam, legesq; sacras, pacemq; scholasq;
Illa Dei rexit dona beata loco.
Salua sub hoc cunctos Respublica floruit annos,
Pace vigens, opibus diues, honore potens.
Felix hospitium tranquilla Ecclesia senlit,
Artibus & data sunt præmia digna bonis.
Vnde Pater patriæ meruit pietate vocari,
Instar enim rexit subdita membra patris.
Quem lugent Pietas, Musæ, sanctusq; senatus,
Et ciues, vsquam est & pia si qua cohors.
Mox erit, vt Menti rursus sociata resurgant
Viua per æternos membra futura dies.
Tunc inter sanctos Heroas & ipse videndus
Concinet æterno carmina grata Deo.

M. Martinus Henricus.

SERVESTA LOQVITVR.

ERgo iaces Princeps nostræ Dux Inclyte gētis,
O pater ô patriæ spesq̃ salusq̃ tuæ.
Stirpis Anhaltinæ columnen parsq̃ altera Princeps,
In cineres tristi morte peremptus abis.
Temoriēte dolet Princeps *ERNESTVS*, & omnis
Nobilitas obitum fletq̃ gemitq̃ tuum.
Te dolet attonitus fida cum plebe senatus,
Quicquid & Ascaniæ subdita rura colit.
Idq̃ nec immeritò, Dominū quia luget ademptū,
Qui fuit Ascaniæ firma columna domus.
Est res grata Deo Dominos deflere, benigna
Mens quibus in ciues, ingeniumq̃ fuit.
Sed tua, sancte parens, quibus heī funebria verbis
Sacra colens, elegos ordiar vnde meos?
Tu genus antiquum celebri de stemmate ducis,
Quod tenet Hercinijs sceptrā propinqua iugis.
Hoc genus insigne est titulis, clarumq̃ triumphis,
Quæ decorat sanctum religionis opus.
Dux erat Ascania *ALBERTVS* de stirpe creatus,
Qui gessit iusta fortia bella manu.
Insignesq̃ tulit primus septemuir honores,
Qua vetus à Brenno Marchia dicta iacet.
Cuius ab illustri *BERNHARDVS* origine natus,
Saxonici tenuit sceptrā tuenda soli,

Quod

Quod tenuere diu collati munus honoris,
Nomen ab Ascania qui tenuere DV ces.
Dux erat Ascania cretus de gente *RVDOLPHVS*,
Qui tulit in Venetis cella trophæa plagis,
Cuius ob insignem bellandi, gloria, famam
Viuat adhuc nullos interitura dies,
Dux erat Ascania de stirpe *GEORGIVS* alta,
Nomen ab eximia qui pietate tulit.
Et præclara suis meruit præconia factis,
Quod coluit verum pectore & ore *DEVM*,
Quodq; repurganti fidei documenta *LVTHERO*
Illustrem Princeps ipse locauit opem,
Exemploq; Esdræ populis dum iura ministrat,
Hos etiam docuit voce styloq; Deum.
At quid prisca tuæ recitans exordia gentis,
Ascaniæ refero stemmata clara domus?
Quin & multa tuus genitor virtute *IOHANNES*
Præstitit, & patriæ commoda magna dedit.
Rexit & Ascanias sanctis virtutibus oras,
Ac meruit patriæ nomen habere patris.
Vt taceam *VVOLPHGANGE* tuas Dux inclyte
Qui decus & validi gloria Martis eras. (dotes
Quiq; nec insidias metuens, nec bella potentum
Rite tuebaris dogma salubre *DEI*,
Nec *IOACHIME* tuas pertexam carmine laudes,
Qui pius Aonidum cultor & autor eras.

Hinc

Hinc ortus BERNHARDE tuos, hinc semina
Semina Teutonicis sat bene nota locis. (ducis,
Sed licet antiqua ducas ab origine nomen,
Ac numeres claræ nobilitatis auos:
Ipse tamen sanctis nomen virtutibus æquans
Dignus eras propriæ laudis honore coli.
Quod bene sis Christum primis veneratus ab an-
Illius ex toto pectore verba colens, (nis,
Quodq; per ingenuas animo volitaueris artes,
Artibus erudiens pectora culta bonis.
Dumq; alij pigro traherent conuiuia luxu,
Laxantes vitij's impia frena suis.
Hic gauderet equis, dum saltibus ille ferarum,
Hic caperet ceruos, illeq; fixit apros,
Cura tibi ingenium diuinis dotibus auctum
Excolere, & docta mente placere, fuit.
Aut pia sacrorum voluēs monumenta librorum,
Discebas veri dogmata pura Dei.
Historiasq; legens atq; inclyta facta parentum,
Signasti Exemplo facta sequenda tuo.
Et licet Italiæ claras lustraueris vrbes,
Videris atq; oculis Gallica regna tuis:
Sola tamen tibi cura fuit cognoscere honesta,
Et vitare pijs cuncta pericla modis.
Dux pietas, doctrina Comes, sapientia princeps
Imposuere tuis laurea ferta comis.

A iij

Hinc

Hinc tibi cognitio rerum pulcherrima creuit,
Factus & es Iuuenis corpore, mente senex.
Hinc ubi sunt patriæ tibi tradita sceptrâ regendæ,
Omnia iudicio sic moderante geris.
Te DVCE florebat sanctis Ecclesia donis,
Claruit & summi gloria vera Dei.
Illustrare Dei verbum, purumq; tueri,
Prima tibi cuncto tempore cura fuit.
Largiter vnde dabas fidis sua dona ministris,
Qui sacra sincero pectore verba sonant.
Tuq; pias artes studio flagrante fouebas,
Esset ut Aonijs gloria digna choris,
Quiq; darent Musis operam studijsq; vacarent,
Ipse dabas facili munera larga manu.
Te DVCE florebat merita Respublica laude,
Omnibus & numeris vita beata fuit,
Namq; tuos populos velut alta in pace fouebas
Et virtute tuos & pietate regens.
Te DVCE Nobilitas claris virtutibus aucta
Iusticiæ tecum fida ministra fuit.
Dulcia felices viuebant sæcula ciues,
Rusticus & læta pace colebat agros,
Dexter eras cunctis, mansuetus in atria ciues
Admittens, cunctis auris aperta fuit.
Adde quod & viduasq; senesq; orbosq; fouendo
Præstabas facilem commiseratus opem.

Omnia

Omnia si coner dignis perscribere verbis,
Ilias est scripti iusta futura mei.
Sic igitur duræ sic ô mitissime Princeps,
Ante suum Parcæ te rapuere diem.
Et tua te Pietas, Virtus, Clementia, Candor,
Eripere à rigida non potuere manu.
O mors ô nimium crudelia fata sororum
Lanificum, ô sanctis mors inimica viris.
Ah tibi non sat erat puerili ætate GEORGVM
Dulcis ab amplexu surripuisse patris.
Nonne tibi sat erat celebrem virtute Maritam
ERNESTO claro surripuisse DVCI
Ni quoq; BERNHARDVM nulli pietate se-
Eriperes populo per tua tela suo? (cundum
O mors ô nimium crudelia fata sororum
Lanificum, ô sanctis mors inimica viris,
Sic igitur moreris, sic ô clarissime Princeps,
Omnia conturbas funere læta tuo.
Qui cum sic nostras bene sis moderatus habenas,
Vt sancti posses nomen habere DVGIS,
Cumq; pater patrijs meritò sis dictus in oris,
Ferre sim si non te moriente fleam.
Ac velut Ascaniæ cum stirps generosa deesset
Mœsta fui, & summum sum venerata DEVM,
Vt daret Ascanio Comitem de sanguine natum,
Qui ferat Imperio sceptrum regenda suo,

Sic

Sic dum rursus abis nostris dux Inclyte terris,
Ah renouas obitu vulnera quanta tuo?
O quoties imo suspirans pectore dixi,
Incolumem seruet tecum tuosque *DEVS*.
O quoties Christum tensis ad sidera palmis,
Hisce Deum votis sum venerata pijs:
Tu gemitus, nostrasque preces, tu vota precantum
Exaudi patria pro bonitate Deus.
Nec sine, ut his vnquam desit Dux Inclytus oris,
Traxit ab *Ascanijs* qui sibi nomen auis.
Viuat *Anhaltino* semper de sanguine Princeps,
Atque regat sceptris *Ascania* arua suis.
Hoc te *Christe* rogant pueri, tua cura, tenelli,
Bis pueri hoc petimus maxime *Christe* senes.
Sed *BERNHARDE* licet tecum feliciter actum,
Ac feriat mentem nulla querela tuam.
Inter & *Heroas* cœlesti insignis in aula
Sub pedibus cernas nubila celsa tuis:
Nostra tamen digno luget *Respublica* luctu,
Quod careat patriæ principe patre sua.
Perpetuò viues, nunquam tua fama filebit,
Lausque tua est nullis interitura modis.
Donec erit tellus & celsi machina cœli,
Ipsa canam laudes tempus in omne tuas.
At tu magne tuum Princeps *ERNESTE* dolorem
Reprime, nec frangat fortia corda dolor.

Iusta

Iusta quidem res est fratrem deflere peremptum,
Coniugis & charæ fata dolere suæ.
Sed cum fata vocent, & sit diuina voluntas,
Siste precor lacrymas Dux generose tuas.
Nam *DEVS* è terris iustos deposcit ad astra,
Ne cernant oculis damna futura suis.
Per superos igitur, quibus adiutantibus omnem
Abstergas lacrymam, Dux Ioachime, precor.
Per Patriam veteriq; satam de germine gentem,
Contulit imperij quæ tibi sceptrâ sui.
Perq; domum *Ascaniã*, quæ fortibus inclyta factis
Laudibus ornauit sæcula multa suis.
Parce tibi natisq; tuis, Dux Inclyte, parce,
~~Qui te flente fleunt, teq; dolente dolent.~~ *Arminius*
Parce tuæ patriæ, quæ charo orbata parente
Luget, & est duplici funere mœsta tibi.
Hoc & idem fratris pietas iubet Inclyte Princeps,
Vtq; diu possis viuere, parce tibi.
Sisq; tuis felix Dux Illustrissime terris,
Quodq; facis, populo dexter adesto tuo.
Ducat in exemplum veterum te fama parentum,
Gloria qui patriæ vera fuere suæ.
Quorum vt erat totum Clementia nota per orbẽ,
Sic pietas omni tempore nomen habet.
Sis felix facilisq; tuis Dux Inclyte terris,
Quodq; facis, patriæ mitis adesto tuæ.

A v

Det



Det Deus, vt seros viuas cum prole per annos,
Det Deus, vt regnes cum sene prole senex.
Verum ad te redeo, Princeps *BERNHARDE*, ti-
Gratulor ætherei regna beata poli. (biq̃
O Princeps dilecte Deo, dilecte choroq̃,
Qui canit excelso carmina grata DEO.
Salue sancte parens, Dux Illustrissime salue,
O decus ô patriæ gloria vera tuæ.
Felix sorte tua, quia te viuento colebam
Dulcia tranquillæ tempora pacis, eram.
Felix sorte tua, quia iam sublatus ad astra
Pro populo fundis vota precesq̃ tuo.
Sancte vale Princeps, qui tristi ereptus ab orbe
Soluisti fati debita iura tuis.

Et nunc ante DEVM cœlesti in sede receptus,
Contuitu fruere colloquioq̃ Dei.
Heroasq̃ vides, rursusq̃ videris ab illis,
Qui Christum votis asseruere p̃is.
Salue sancte parens, princeps sanctissime salue,
Inq̃ sinu Christi Dux generose vale.



IOHANNIS XI.

*Ego sum resurrectio & vita: Qui credit in me,
etiamsi mortuus fuerit, viuet. Et omnis qui viuit &
credit in me, non morietur in eternum.*



IOHANNIS XI

Ego sum resurrectio & vita: Qui credit in me
etiam si mortuus fuerit, vivet. Et omnis qui vivit &
credit in me, non morietur in aeternum.

Jf 4600

ULB Halle 3
003 299 04X



sb.

1077





33


XXXIV

DE
STATVRO OBI
VSTRISSIMI ET GENE
MI PRINCIPIS AC DOMINI,
RNHARDI, PRINCIPIS ANHALTINI, CO
e, Domini Seruestæ ac Bernburgi, qui in vera
ardenti Inuocatione filij Dei ex hac mortali
vitam cœlestem eternamq̄ commigravit

Calendis Martij, Anno
M. D. LXX.

QV E R E L A
RVESTÆ CIVITATIS.

SCRIPTA A
COLAO BOTICHERO
ibidem ad D. Nicolaum Conrectore.



ergæ excudebant Clemens Schleich
& Antonius Schöne.

ANNO M. D. LXX.
Vivo, sapientia eruditione
fute, presfanti D. Jacobo
R epub. Seruestana Came